ACTUS SOLEMNES

IN

GYMNASIO REGIO NEOBURGENSI

A. D. IX. CAL. SEPTEMBR. MDCCCXLI RITE HABENDOS

RECTORIS COLLEGARUMQUE NOMINE

INDICIT

ANTONIUS MANG

GYMNASII PROFESSOR.

INEST

DISSERTATIO DE ATTICA ELOQUENTIA.

NEOBURGI

TYPIS GRIESSMAYERIANIS.

Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει· οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
τερπόμενοι λεύσσουσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν·
ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ, θεὸν ὥς, εἰσορόωσιν.

Hom. Od. VIII. v. 170 - 73.

De Attica eloquentia dissertatio.

Quid ingenium ac multo magis quid ratio exercitatioque in eloquentia posset praestare, Attici prae ceteris ostenderunt artemque dicendi adeo excoluerunt et tam sublime in fastigium evexerunt, ut Attica eloquentia merito putetur lex quasi et norma dicendi. Attici enim postquam spendidas illas de Persis victorias reportarunt, quasi rerum bellicarum satietate capti pacis artibus summo studio navarunt operam et ingeniorum excellentia adiuti effecerunt, ut admirabili quadam simplicitate, intelligendi sollertia, cogitata optime eloquendi facultate, doctrinae elegantia multum inter Graecos eminerent. In omnibus igitur operibus quae Attici acerrimo pulchri venustique sensu imbuti effinxerunt, venustatis speciem licet expressam videre. Quamobrem fieri non potuit, quin in arte quoque dicendi, longe difficillima ac gravissima, etsi non Athenis nata, sed aliunde huc translata, mox quid verum esset et quid vitiosum, probe perspicerent et solis Athenarum moenibus vera et genuina includeretur eloquentia nec reliquae Graeciae civitates in illius gloriae societatem admitterentur. In omnibus tamen artibus, quas homines factitant, artificia sive artis exercitationes disciplinis ipsis priores esse experientia docemur. Natura enim invenit artes, usu perficiuntur, disciplina vero otii est et meditationis opus. Quippe origines artium proficiscuntur ex insita animi indole et innata cogitandi sentiendique ratione, et sero demum exempla naturae vi prolata pro praeceptis sunt et observatione earum rerum quae in artibus factitandis adhibitae sunt, ad theoriam et compositionem pervenitur. Neque vero infitiandum est, homines naturae ipsius habitu bono per se ipsos et disertos et

graves exstitisse, et cum naturam ducem, admonitorem autem effectum haberent, in dicendo plura recte et praeclare fecisse, et est sane extemporalis quoque audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas, sed naturalis loquendi facultas, si quid recte facit et pulchre in loquendo, inscia efficit, artifex autem, quid quoque modo agat, sibi conscius esse et ratione, non coeco impetu agere debet. Ars autem dispersas natura res colligit et ad certum exitum dirigit, et sub unum quasi conspectum sistit. Quamdiu vero simplex est vivendi ratio, sinceri sunt incorruptique mores, iustitia et honestas naturalem suam vim in animos humanos exercent, tum graves etiam sententiae vel absque ullo orationis artificio prolatae plurimum valere possunt, sed ubi perventum est ad maiorem et ampliorem experientiam, ubi auctae sunt scientiae, artes plures et litterae excultae, tum oratio quoque non potest non ad artis regulam dirigi. Quae vero inscii faciunt homines certo duce destituti, in iis necesse est in vitia incurrant. Quare ex observato discrimine bene vel male, apposite vel inepte dicentium praecepta hausta sunt. Ars vero aut omnino tollit aut corrigit vitia naturae, quod vero est in ea boni, id auget ac melius reddit: eadem in exercitatione et imitatione quid sequendum quid fugiendum docet. Miserum quidem est et perniciosum, cum natura arte exstinguitur, sed praecipites agimur, cum solo naturae impetu excitamur. Itaque natura et doctrina in eo elaborandum est, ut omnes dissipatas et dissolutas partes ad meditatam totius alicuius complexionem coeant. Multi profecto laboris est alios ad agendum aliquid compellere et ad eandem voluntatem adigere. Quocunque quis ad dicendum animi motu concitatur, regat illum necesse est et quodcunque attendat, id consilio, ordine, eloquendi arte consequi studeat nec ardentem in pectore vivam flammam temere prae se ferat. Prudentia igitur est oratori adhibenda et maxime id intendendum ut temporis, loci, personarum opportunitatem, quae ad dicendum oblata est, penitus occupet et ita dicat ut nec aut sententiis aut verbis addi quidquam nec demi possit. Immensi hoc laboris est, nec quisquam, nisi egregia multarum rerum disciplina eruditus fuerit, id efficere poterit. Arte igitur oratoria quis non facile largitur nec maius quidquam nec difficilius esse, et longe plures in aliis artibus illustres fuisse, quam in dicendi facultate. „Ceterarum quidem magnarum artium et doctrinarum facultas maxime tenetur vel ingenii celeritate et cognoscendi cogitandique diligentia vel

iudicandi quadam prudentia vel denique exercitationis assiduitate, eloquentia autem his rebus ita omnibus pariter opus habet, ut, si una absit, aut non sit permagna, consistere ipsa aut tota et perfecta contingere nullo pacto possit." Quamobrem quum legibus et praeceptis Athenienses ad oratorium munus instituerentur, nemo sine praeviis studiis, sine diuturna et accurata praemeditatione, sine exemplorum optimorum contemplatione et imitatione ad dicendum surgere ausus est. Unde omnia, quae dixerunt, praeparata, omnia sollerter composita, merito nuncupaveris. Sic Athenienses pro sano ipsorum iudicio reiectis omni fuco et luxuriosis orationis ornamentis ad sanitatem illam dictionis et subtilitatem pervenerunt, qua eos ceteris omnibus praestantiores fuisse omnes uno ore praedicant.

Attamen eloquentia apud Graecos iam antiquissimis temporibus pro ingenii vigore, quo praediti erant, et pro vivendi more et ratione ad publica negotia adhibita est, et vestigia eius iam exstant in Homeri carminibus. [1]) Sed inde ab Homerica aetate usque ad Coracem et Tisiam Siculos [2]) dicendi disciplina fuit nulla. A Menestheo [3]) quoque Athenis, qui primus demagogorum fuisse fertur, ad Solonem usque et Pisistratum, et inde a Themistocle ad Periclem Olympium et ad Cleonem δημολόχον [4]) habitae sunt orationes, ita tamen ut quae natura possent oratores, expromerent. Etsi ex institutionis ratione [5]) apud Athenienses consequitur, ut praecepta in scholis tradita sint, sine quibus Themistocles adhuc puer in otio orationes componere non poterat, quae tamen praecepta ad rerum gerendarum prudentiam et cognitionem magis spectasse videntur, ab iis tradita, qui Solonis quasi sectam quandam secuti sunt. Flos vero et artis et disciplinae inde a Periclea aetate esse incepit, quum et oratores et rhetores summa cura contenderent, ut iam non ingenio solum et vi naturae, sed etiam institutione et litteris famam eloquentiae consequerentur.

Quae quum ita sint, explicandum primum mihi proposui, quid commodi apud Athenienses reipublicae forma et constitutio ad eloquentiae vim promovendam attulerit, deinde quae litterarum cultura et linquae conformatio fuerit, denique quantum et disciplina artis et ipsi oratores praestiterint, sed angustis huius

scriptionis cancellis circumscriptus, quominus prolixius haec argumenta tractem, unumquodque tantum summatim attingens in medium profero, contentus, si sanioris mentis adolescentes his litteris dediti lucri inde aliquid fecisse laetantur.

Quod ad primam quam posuimus partem attinet, Atheniensium respublica ita fuit comparata, ut non parum eloquentiam sive vim dicendi adiuvaret. Ex Solonis disciplina [6]) cuilibet civi licebat in concione verba facere et in foro ius dicere, sed illud prius quam hoc. Viginti vel duodeviginti annorum adolescens in populi concionem admittebatur. Judicis personam [7]) suscipere poterat triginta annos natus Atheniensis. Ex certissimis testimoniis colligas, Atheniensem duodeviginti annos natum inter ephebos receptum et in concione scuto et hasta esse donatum. Adiunctum erat, ut in tabulas publicas (ληξιαρχικὸν γραμματεῖον) referretur civis adolescens et sui iuris fieret, rei familiari suae præesset et proprium larem haberet, praeterea et in concionem ad dicendum prodiret. [8]) Posteriore iure si uteretur, dicendi copia (ἰσηγορίᾳ παῤῥησίᾳ), rhetor vocabatur ideoque discernebatur ab idiota [9]), qui in concione non orabat. Campus igitur eloquentiam exercendi amplissimus ibi patefactus erat in curia et in concionibus, ubi oratores populo vel suadebant vel dissuadebant aliquid, de quo tum deliberatio instituebatur. Pari modo in foro et in iudiciis, quoties habebantur iudicia publica, oratorum partes erant, reis vel dicem dicere vel eosdem defendere. Antiquo autem tempore qui magistratus gerebant, iidem rhetores surgebant, et utriusque rei vice fungebantur. Illis temporibus summa quoque fuerat oratorum cum ad populum verba facerent, modestia et verecundia (εὐκοσμία), quam non voce tantum et oratione, sed toto corporis habitu et gestu prae se ferebant. [10]) Praeterea lege Solonis sanctum erat, ut qui supra quinquaginta annos essent primi surgerent.[11]) Intermissa quidem est eloquentia, quum Pisistratus tyrannidem occupasset, sed reducta est Hippia exacto (510 a. Chr.) et pristina republica a Clisthene [12]) restituta. Mox autem cum omnes consultationes atque decernendi et constituendi ius in concionibus a populo exercerentur, hac multa agendi cupididate factum est, ut penes oratores in populum esset imperium, atque administrandae reipublicae et orationes habendi ars coniungeretur. Ex quo vero tempore eloquentia praeceptis confirmata exercebatur, rhetor vocatus est, qui arte dicendi

praevalebat,[13]) qui ex tempore verba faciebant, raro procedebant, et magnum inter eos et populum ipsosque magistratus intercedebat discrimen. Populus inde ab eo tempore magis oratoribus tanquam rectoribus suis sese commiserat et saepe contra magistratus vim suam exhibebat, ductus ab iis, qui dicendo communi se saluti prospicere simulabant. Huius autem depravitatis auctrices fuere Syracusae et Athenas bello peloponnesiaco haec pestis invasit. Iam cum aetate Periclea maxima incrementa cepisset eloquentia et sophistae id maxime agerent, ut communem disciplina sua facerent dicendi facultatem, tum omnes proruperunt ad dicendi licentiam vel iuniores et mediocri ingenio praediti, quo magis recedebant a reverentia erga seniores et sagaciores. [14]) Solonis lex neglecta iacebat. Exstitit insuper mos ut oratores conscriberent orationes et pecuniam acciperent, iam Antiphontis aetate sub finem belli peloponnesiaci. [15]) Inde a Thrasybulo et Archinoo dissidium factum est inter belli duces et qui orabant in concionibus et plane diversum erat *τὸ πολιτεύεσθαι καὶ τὸ ϛρατηγεῖν.*[16]) Sed tamen ut inter contagia malorum etiam sunt, qui meliora curent, ex eo ipso tempore duces afferre possumus, qui dicendo pollebant, aut a philosophorum scholis, ut Chabrias et Phocion, qui erant ab Academia, aut ex Isocratis disciplina profecti, ut Timotheus. Iphicrati Lysias scripsit orationes. At in administranda republica non tantum habebant potestatis, quantum antea vel Themistocles vel Cimon. Populus iam lenociniis oratorum et blandimentis adeo erat assuetus, ut truculentus Chares nonnunquam plus auctoritatis haberet, quam optime de republica meritus vel Iphicrates vel alii boni viri. Licentia enim comica et dicacitas ad oratores quasi demandata esse videbatur, et auditores non minus conviciis et calumniis oratorum delectabantur, quam antea comicorum facetiis, qua corruptela etiam meliores oratores non omnino erant liberi. Quae quamquam ita erant, tamen eo ipso tempore boni honestique cives saepius etiam in certamen descenderunt cum perditis et improbis plebis assentatoribus et Antiphonte aetate victoriam reportarunt de Hyperbolo, [17]) qui, quum ad plebis modo gratiam et voluntatem perniciose esset locutus, in exilium eiectus est. Et ne nimis larga excresceret herbarum malarum seges, prohibitum est meliore ad verum et iustum et honestum adducta eloquentia, quae quo magis in civitatem irruebat pernicies, eo graviorem et splendidiorem vim exercebat per magnos illos oratores qui aetatem tulerunt et Atticae eloquentiae gloriam stabilierunt.

Haec, de qua modo dixi, reipublicae temperatio inprimis favit eloquentiae, sed fuere aliae quoque causae huius artis fautrices. Iam post bellum illud celebratum contra Persas gestum occasio oblata fuit, qua usi oratores neglectis rebus civilibus splendorem et ornatum dicendi exhibere artemque suam ostentare poterant. Cui rei inserviebant orationes funebres [18]) (*λόγοι ἐπιτάφιοι*), quarum auctor Aristides fuisse fertur, cum iis qui in pugna ad Plataeas occubuissent, iusta fierent. Atheniensium vero hic mos solum fuit proprius, ut in honorem eorum, qui decoram pro patria mortem obiissent, quotannis publicae solemnitates haberentur, quibus ii, qui in proeliis cecidissent, iusta persolverentur. Oratores legebantur a Senatu qui dicerent, et solemnitas in Ceramico extra urbem fiebat. Quae quum saepius repeteretur, factum est, ut oratores cum eorum, qui sepultura ornandi essent, laudatione maiorum praeconia coniungerent adeoque in universas Athenarum laudes exspatiarentur. Hinc postea rhetores et sophistae egregium sane campum nacti sunt, in quo artis suae ubertatem et praestantiam explicarent, id quod ex eo potissimum tempore factum videtur, quo Gorgias Leontinus publice laudationem funebrem habuit. Ita exortum est illud ad ostentationem comparatum dicendi genus, in quo maxime quid ars valeret, expromi poterat. Praeterea idem illud bellum Persicum et magis etiam poloponnesiacum, ut legationes frequentius emitterentur, effecit, et magna auctoritate fruerentur legati, quos inter et rhetores publicos intercedebat intima quasi cognatio. Inde a Gorgia (427 a. Chr.) potissimum intellectum est, quanti aestimandi essent diserti legati. Athenienses igitur inprimis curarunt, ut eloquentissimis modo viris demandaretur legationis munus. Sic Callistratus Spartam profectus est, posteroque tempore Demosthenes, Aeschines, Lycurgus, Hyperides emissi sunt. Adeo hoc exemplum traxit alias quoque civitates, ut ex brevibus et gravibus sententiis etiam apud Spartanos dilataretur oratio inde a temporibus Brasidae, Lysandri, Antalcidae. Legatorum enim erat suae civitatis defendere et tueri commoda, et foedera cum aliis civitatibus iungere, ut patriae suae saluti bene consuleretur. Harum orationum, quas legati habuerant, ad similitudinem rerum quoque conditores orationes suis inseruerunt monumentis, ut suam et ipsi dicendi facultatem ostentarent. [19]) Mos quidem orationes in poëmatis et in historia proferendi inde ab Homero et Herodoto originem duxit, cum, qui

mores essent virorum, qui agebant, melius ostendi non posse visum esset, quam si inducerentur loquentes. Sed hic mos eo magis obtinuit, quod rerum scriptoribus vita publica accurate depingenda erat, ut quae a quibus viris facta et dicta essent, viva imagine ad posteritatem proderentur.

Sed posteaquam de republica ipsa eiusque institutis quibusdam explicavimus, ad litteras et sermonis rationem adgrediemur. In aetatem enim Pericleam incidit summa artium et litterarum omnium cultura. Tum exstiterunt rerum scriptores gravissimi, ars et tragica et comica palmam tulit, mira artificium opera confecta et monumenta venustatis exstructa sunt perennia, adeoque, ut Athenae essent sedes quasi et domicilium omnium artium et litterarum liberalium. Philosophorum etiam disciplinae antea suis quaeque locis quasi circumscriptae sedem Athenis collocarunt, et quamquam atrox certamen de placitis tam diversis atque inter se contrariis ortum erat, fieri tamen non potuit, quin ex hac oppositione decretorum rebus tum strenue in examen vocatis vera et genuina philosophia nasceretur. Nec minore cura sermo quoque Atticorum excultus et perpolitus et ad miram elegantiam perductus est. In linquae autem conformationem terra durior et minus felix coeli temperies, at effeminationi officiens, coniunctio Atticarum tribuum in unam civitatem iamdudum facta, frequens peregrinorum commeatus, commercium denique et mercatura sanequam maximam vim exercuerunt. Hinc Attici suum sibi linquae characterem expresserunt ad solididatem et ubertatem et verborum et structurae, atque orationem aeque distantem ab antiqua austeritate Doricae dialecti ac luxuriante et molli dictione Ionica, mediam et bene ex utraque temperatam compararunt. Primi tragici propria dialecto conformata copiam generosioris dictionis poëticae effinxerunt non spreta regularum formula, comici familiarem sermonem diligentius excoluerunt, aeque puritatem, congruentiam aequabilitatemque ac libere dicendi facultatem, leporem facetiasque sectati. Posteaquam autem per sophistas sermo ad firma praecepta directus est, Attici ad historiarum expositionem, ad dicendi artem, ad philosophiae explicationem prosam fecerunt numerosam et verborum ambitu conclusam, severam et gravem, venustam qualis est hominum politissimorum oratio, anologiae aeque inservientem ac libere fingendi arbitrio. Postremo magnum subsidium in quo

nervi et robur artis oratoriae insunt, accessit inventa dialectica quam mirum quantum avide receperunt Athenienses. Eam Athenis iam docuit Zeno Eleates,[20]) quo Pythodorus et Callias praeceptore utebantur, quorum prior Antiphontem habebat in disciplina. Maxime vero praecipui sophistae, qui dialecticam Athenis ad ostentationem adhibebant, fuere Protagoras et Gorgias. [21]) Quin autem ad bene intelligendum et ad eleganter acuteque cogitandum dialectica [22]) valeat plurimum, dubitare non potest. Rerum enim genera et formas acute discernere docet, quae si turpiter confundantur, inanis loquacitas et hallucinatio afferri potest, rite disseri nullo pacto potest. Nam in ipso sententiarum ordine et partium distributione consistit vera artis oratoriae ratio. Hac igitur arte oratoriam ad summam pervenisse maturitatem recte affirmaveris.

Denique ad tertium quem posuimus locum adgredimur, qui est de disciplina artis et de oratorum operibus. Ad liberorum enim institutionem prisco tempore corporis modo exercitia, grammatica, poëtarum lectio, musica adhibebantur [23]), sed cum sophistae multifarias utilium rerum cognitiones profiterentur et docerent mathematicam, astronomiam, et linguam investigarent, et de natura rerum et de rebus civilibus regendis dissererent, et philosophiam quandam licet ex perversis principiis deductam traderent, occasio est oblata iis qui primis elementis essent imbuti, animos altiore doctrina excolendi. Novum enim genus disciplinae illi instituerunt et factum est, ut Athenis tum et rhetorum et philosophorum ludi aperirentur. Quae autem perverse ab iis tradita erant, mox inventi sunt, qui refellerent et reiicerent. Sic ea aetate scientia rerum plurimarum est comprehensa, philosophia est exculta tum in cognitione rerum et explicatione naturae posita, tum in descriptione expetendarum fugiendarumque rerum et in regendis animorum motibus, tum in subtilitate disserendi et veritate iudicandi, et quum rerum gestarum memoria exsisteret ampla, historiaque rerum copiam suppeditaret, quum in legum ac iuris civilis scientiam diligentius esset inquisitum, oratio ipsa ad artis praecepta esset conformata non solum electione, sed etiam constructione verborum, quid mirum si eloquendi ars consummaretur, cognata scientiarum familiae toti. Nititur autem Atticorum eloquentia duobus fundamentis et populari dicendi ratione et dialectica. Quemadmodum enim Atticam philosophiam,

ita Atticam dicendi rationem antecessit sophistica, [24]) speciem magis eloquentiae prae se ferens, nequaquam autem digna praeclaro illo nomine. Sophistarum alterum genus industriam suam ad disserendi facultatem contulit, et ex hac una maxime gloriam atque auctoritatem quaesivit, ut Protagoras, Prodicus; dialecticam enim hi subtilitatem ad forensem usum et consuetudinem traduxerunt et eam dictionem, quae ad commune iudicium popularemque intelligentiam erat accommodata, amplexi sunt. De eloquentia igitur eo tantum bene meriti sunt, quod singula et ad praecepta spectantia tractabant, ut dictio esset pura, ut verba usitata adhiberentur pro diverso eorum significatu, id quod nomine ὀρθοεπείας [25]) insignitur. Grammaticam inprimis et synonymiam colebant nec parum inde consecutum est utilitatis. Alterum autem sophistarum genus pendebat a schola rhetorica in Sicilia instituta, unde Gorgias et qui ab eius erant disciplina. Hi plane diversam inierunt viam, cum ornate dicendi maxime facultate id studuerunt efficere, ut audientes delinirent delinitosque in sui admirationem raperent. Haec schola poëticam dictionem (εὐέπειαν) [26]) affectabat, et quasi calamistris intorquebat orationem eique colores adscititios tanquam fucum inducebat. Neglecta rerum intelligentia verborum tantum pondere et magniloquentia assequi isti oratores conabantur assensionem. Sed ut ornatum dicendi genus et ars dialectica, alterum ab altera seiunctum, vitiosa est eloquentia, ita coniuncta constituunt verae eloquentiae fundamenta. Nam ita fit, ut intelligendi sollertia cum bene loquendi elegantia copuletur. Eloquentia enim media est inter poësin et philosophiam. Ea iustum et bonum depingit et reddit quasi conspicuum. Cum autem corporea effigie illa sensui monstrari nequeunt, restat tantum, ut per ornatum verborum phantasiae representatione, quantum fieri potest, viva coram sistantur. Sed inanis est ornatus, nisi veritas dictorum accedat. Itaque rhetorica recte intelligendi et recte intellecta bene dicendi scientia est, loquens nimirum sapientia. Quare rationem dicendi latiorem et eloqueudi contractiorem veteres recte discernebant, ut, quam arctum inter eloquentiam et dialecticam vinculum esset, indicarent. Verum eloquentia in dialectica solum versans nudata omni ornamento in siccum et spinosum disserendi genus, eloquentia dialecticae subductis praesidiis in inanem et enervem verbositatem abiit. Exempla posterioris exhibuere Gorgias [27]), Alcidamas aliique, superioris Prodicus, Hippias [28]) et horum similes.

Attici tamen sensu veri et recti apprime praediti diu delectari non potuerunt istiusmodi eloquentiae tractatione. Quum enim in publico verba facerent oratores, ad popularem intelligentiam et ad vitam communem accommodate loqui debebant. Quamobrem non potuerunt non eum sermonem recipere, quo res vividiores et efficaciores redderent. Genus igitur dicendi duplicem in modum brevi immutatum est, tum per politicos oratores et logographos, quorum principes Andocides et Lysias nugatoribus istis sophisticis suum omni fuco carentem et sobrium sermonem opponebant, tum per rhetores, qui dictioni inprimis curam habebant, primum per Thrasymachum et Theodorum, deinde per Isocratem, cuius virtus est, ut cum naturali venustate coniunxerit periodorum expolitionem et mediocrium ornamentorum usum. Denique accommodata opportune loco et tempori et personis ad rerumque dicendarum formas ita traducta est oratio, ut grandia elate et magnifice, media temperate et mediocriter, parva tenuiter et subtiliter pertractarentur. [29]) Demosthenes et secundi ab illo Lycurgus. Aeschines, Hyperides omnia in se comprehendentes veram effinxerunt eloquentiam bene temperatam ex tribus illis dicendi generibus. Ita ad perfectionis fastigium adscendens facta est undique perfecta dicendi ratio, consummata nimirum prosa oratio. Quaenam autem de omni dicendi ratione praecepta tradita sint, [30]) si quaesiveris, adeo exiguae sunt huius rei reliquiae ut particulas modo rhetoricae artis aegre colligere possis. Sed ipsius institutionis ratio optime perspici potest ex Anaximene sive ex rhetorica ad Alexandrum. Eius enim opere comprehensa esse videntur, quae priores senserint atque excogitaverint. et haec praeceptio adeo obtinuit, ut qui postea rhetoricam exercerent, eam quasi normam sequerentur. Melioris quidem doctrinae ansam iam antea praebuit Plato, sed magis ut perversa sophistarum praecepta expelleret, et indicaret, qua in re potissimum absoluta dicendi et scribendi ratio versaretur, quam ut obsolveret. Ab Aristotele demum elaborata est plena dicendi doctrina, ad communem tamen usum oratoribus minus utilis. Iam sequitur, ut de oratoribus ipsis, quantum praestiterint, dicendum videatur. Huius tamen recensionis periculum tantum faciemus, ita ut ad veterum [31]) maxime iudicia nos dirigamus. Quemadmodum autem miram hominum in ore ac vultu ceterisque lineamentis dissimilitudinem atque diversitatem videmus, ita ne duo quidem oratores eodem prorsus inter se stilo eademque dicendi forma conveniunt.

Sed quid boni habeant quidque digni imitatu facile colliges, si censum feceris. Antequam vero de oratoribus iis, qui in decadem quam vocant descripti sunt, dicere incipiam, omnibus etsi scripti nihil reliquit, tamen praemittendus esse videtur Pericles, qui primus summam in hominum animos dicendi vim optime perspexit, et aeque rebus publicis bene administrandis ac dicendi facultate insignis fuit. Grandes eius sententiae Atheniensium animos arripiebant, quanquam carebant fuco oratorio. Potuit is copiam rerum cum numerosis et gravibus verbis, cum argumentorum pondere, cum sale et dicacitate ita iungere, ut nemo esset, qui orationis illius impetui resisteret. Princeps autem in decadem receptus, cui ceteros deinceps subiungemus, Antiphon Rhamnusius (479 — 441 a. Chr.), Sophili filius sophistae, haud dubie ex sophistarum tum Athenis florentium scholis egressus ad eloquentiam accessit, cuius etiam ludum aetate provectior aperuit et praecepta maxime cum exercitiis coniunxit plurimumque ad rhetoricae incrementa contulit. Hic inprimis gloriam sibi comparavit tanquam praecipuus generis iudicialis auctor. Grandem et antiquam dictionem amat et concinnitatem singulorum membrorum appetit tum regnantem. Caecilius: „accuratissimus est, inquit, in orationibus suis, probabilis, in inveniendo callidus, in perplexis rebus artificiosus, ex improviso argumenta intentans, sermonemque ad leges et motus animi convertens, maxime decori studiosus.“ Propter vim quidem dicendi (δεινότητα) multitudini suspectus erat, sed adeo eminuit oris suavitate, ut propter μέλιτος γλυκίονα αὐδὴν Nestor diceretur. Andocides (468 — 393 a. Chr.) haud magna auctoritate fuisse videtur, quia raro apud antiquos eius fit mentio; usu et experientia non a sophistis eruditus orationem non ad unam aliquam speciem conformavit, atque ratione et arte excultam, sed ad vitam communem accommodavit, dictione purus et elegans est, plenus Attici saporis, in rebus subtilitatem impetum atque gravitatem laudabis. Lysias (458 — 378 a. Chr.) Cephali Syracusani filius fuit, cuius oratio subtilis et elegans dicitur canon dictionis Atticae. Naturali simplicitate excellit idemque generosus est et gravis, et licet copiosa, tamen rotundo quasi ex ore eius profluit oratio nec fit assumto ornatu putida. Sententiae perspicuae sunt et lucidae; mores optime depingit et vitae communis imaginem vivide exprimit. Consummatur autem oratio venustate et gratia omnibus partibus diffusa. Deterior est in rerum dispositione et ordine, tamen apertam et accuratam earum expli-

cationem habet. Uberrimus fuit auctor et orationum in causis forensibus, in curia et concionibus habitarum, et panegyricas, amatorias, epistolia composuit. Isocratis (436 — 338 a. Chr.) oratio nitida quidem et comta, casta tamen et modesta conventibus magis, quam foro accommodata est. Mediam inter poëticam dictionem nudamque simplicitatem viam ingressus rerum gravitatem verborum cum delectu et ornamentis coniunxit. Primus instituit dilatare verbis et mollioribus numeris explere sententias. Cum enim suas ad id tantum composuerit orationes ut legerentur, numerose et apte cadentem verborum comprehensionem appetiit ut suavius ad aures perveniret oratio. Res in commune utilissimas elegit et rhetoricam fecit organon de rebus et publicis et privatis recte et bene cogitata suavitate orationis in legentium animos spargendi. Quod Plato in eo philosophiam inesse auguratus est, eo referendum esse videtur, quod Isocrates rem de qua dicturus est, perspicue proponit, et sententiarum ordine et partium distributione optime utitur, qua in re longe Lysia superior est. Inprimis autem perfecti magistri laudem comparavit et nobilitate et copia discipulorum floruit. Isaeus (420—348 a. Chr.) multis rebus similis est praeceptori suo Lysiae, aeque enim puro sermone et perspicua pressaque oratione utitur, sed loco negligentiae quasi nativae, et simplicitatis et venerum, quibus Lysias eminet, sectatur artem, limam, adscititiam venustatem, neque id obest gravitati eius et efficaciae. In tractanda materia artificiose disponit et callide nectit argumenta et in singulis aequa luminum et umbrarum ratio apparet. Politicum dicendi genus arctius circumscripsit, a Demosthene eius discipulo consummatum. Lycurgus (Ol. 94 — 323 a. Chr.) et integritate morum et redituum publicorum prudenter administrandorum cura praestantissimus, veri honestique studiosus atque libertatis amans, contra Macedones sentiens, ob dicendi facultatem inprimis laudandus est, quod honestatis studium incorruptique mores eius exspendescunt ex nitore orationis, quae remota a sophistarum artificiis, in necessariis tantum occupatur et effluit ex animo intima patriae caritate imbuto, atque vehementia et gravitate insurgit. Minus tamen urbana et festiva est eius oratio, sed austera et propter degressiones ordo rerum saepe interruptus. Demosthenes (385 — 322 a. Chr.) maxime inter antiquos eloquentiae laude celebrabatur et primas ei in dicendo uno consensu omnes deferebant. Audito Callistrato paene puer, quum oratoriae facultatis admiratione

incensus esset, huic uni studio se dedit. Quanta id fecerit diligentia et cura, nemo est, qui nesciat. Vim autem dicendi assecutus est singulari suo honestatis amore, eximio virtutis et veritatis studio. Ingenio facile superat omnes eiusque ope et rem implicatissimam materia sapienter disposita et argumentis opportune et sollerter insertis et nexis perspicuam et pellucidam reddit, dubitationi cuique forte oborienti callide occurrit et antevertit, tenebras diffundit et ad certum propositumque finem contendit sententiarum et verborum velocitate secum abripiens. Quid dicam de magica linquae vi, qua superior incedit, magniloquus aeque ac simplex, uber nec vero nimius, peregrinum sonans et tamen familiare, festivus sine fuco, severus pariter ac iucundus, pressus aeque ac profluens, dulcis aeque ac vehemens et quum omnia ex intimo animo emanarent, auditores non potuit fieri, quin percelleret. In orationibus suis plerumque ubi res patitur, summissius a primo, deinde pressius in argumentis loquitur, et cum ardentes videt auditores, in reliquis exultat audacius. „Pari modo multae sunt eius totae orationes subtiles ut contra Leptinem, multae totae graves ut quaedam Philippicae, multae variae ut contra Aeschinem falsae legationis, ut contra eundem pro causa Ctesiphontis“ Et ne quid ei desit, vocis gestuumque pro rerum varietate apta conformatio laudatur, sicut ipse ὑποκρίσει primas in eloquentia deferebat. Aeschines (389 — 314 a. Chr.) quidem Demosthene meditata compositione, dextra rerum tractatione et explicatione inferior et honestatis studio longe minor est, sed ingenii affluentia, mira orationis facilitate et sollertia, atque gratia ad se rapiente excellit; naturae viribus satis instructus tempori inservit, et praestantissimus est facultate ex tempore dicendi, cuius rei Athenis expulsus ludum in insula Rhodo instituit, ubi auctor fuit eloquentiae per seculum singulari cura cultae. Hyperides (Ob. 98. 4. vel 99. 1 — 322 a. Chr.) nullius magistri verbis addictus in eloquentia medius fuit inter Lysiae suavitatem et vim Demosthenis; sermo eius purus et Atticus, non tamen abhorruit a vulgari dicendi formula. Multo acumine versatus est in tractanda materia et a praecipua iudicii quaestione nusquam deflexit, multa prudentia locuples ac venere refertus, et simplex et tamen gravis fuit. Subtile et temperatum in narrationibus dicendi genus imitatione dignum censent harum rerum iudices nec minus rationem et argumenta quibus ad caussam accessit. Dinarchus (361 — 292? a. Chr.) Corinthius imitatur modo tenue,

modo medium, modo sublime dicendi genus, Lysiae et Hyperidis et Demosthenis aemulus, proprium ideo characterem non adscivit et quum a Demosthene longe esset relictus, Δημοσθένης ὁ ἄγροικος ἢ κρίθινος ἤκουσεν. Adiungimus, quod ultimus est fere ex Atticis, qui nominari possit orator, Demetrium Phalereum, quem in medio dicendi genere omnibus praefert Cicero. Multum ingenii habuit et facundiae et, ut Cicero ait, orator fuit parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Illius aetate inclinavit eloquentia et magis magisque ludis circumscripta latebat.

Iam vero, quod proposuimus, explanatum est, at fortisan quaeviseris, num consummata sit sola Attica eloquentia. Undique expletam et perfectam dicendi formam, quae omnes orationis numeros contineat, in oratorum operibus expressam non invenies. Summa enim illa perfectionis species mente tantum conformatur, quam intuens orator imitationis curam dirigit. Quare non unius modo oratoris, quamvis sit perfectus, opera unica et singularia sunt exempla, nec legem universe obstringentem sanciunt. Nam ad summa quisque tantum assequenda contendit. Vere igitur: „Non assequimur (perfectionem), ait Cicero, at, quid deceat, videmus.“ Multae sane exstant dicendi formae pro ingenio cuiusque oratoris proprio, sed quod oratores aciem mentis a vulgari consuetudine abduxerunt, et direxerunt ad speciem illam informatam et perfectam, atque in veritatis imitandae genere versantur, in hoc sunt spectandi, in hoc imitandi. Vis autem omnis oratoris consistit in eo, ut fidem efficiat, remque probabilem reddat, et, quantum fieri potest, veri scientia stabiliat, ita ut auditores, quod suadeat et doceat, sponte sequantur. Est igitur rhetoricae munus, ut rationis dictamina ad vim imaginationis applicet et accommodet ad excitandum appetitum et voluntatem. Hic non cuiusque sermonis est finis; nam historiarum expositio, philosophiae explicatio, descriptionis ars vim suam et effectum assequuntur, si veram et perspicuam rei expositae imaginem exhibeant, nec quomodo mentem et animum legentium afficiant, magnopere refert, sed oratori non satis est demonstrando efficere, ut eligere quid faciant, auditores possint, sed deducere debet animos eorum, unde velit et quo velit impellere atque ita constrictos tenere, ut contraria consilia ne sequi quidem posse videantur. Quare ut orator suum sese effecturum sperare

possit, auditores in perpetua attentione et occupatione retinebit, neque patietur unquam a se suaque oratione mente recedere, nusquam non cum iis colloquetur, lenitate orationis eos sibi conciliabit aut gravi affectu commovebit, argumentorum pondere ad recti verique cognitionem adducet. Si quis autem rem modo explicet sine ullo animi ardore et quasi filo quodam deducat, quomodo auditorem habeat assentientem, non intelligo. Docendae igitur sunt formae argumentorum ad praesidia intellectus, affectus ita componendi ut rationi pareant, animus denique implendus est observationibus et simulacris ut rationi suppetias ferant. Quamobrem eloquentia ad leges et praecepta conformata duce natura tres potissimum artis partes discernit et constituit. Quemadmodum enim absoluta aedificiorum pulchritudo, quam vocant architecti, in tribus potissimum contistit, teste Vitruvio I. 2. in symmetria seu conveniente partium consensu et materiae excellentia et exacta partium singularium elaboratione, ita oratoris praecipuum est officium, rem, quae proposita est ad dicendum, recte inventis et excogitatis perspicuam et probabilem reddere, recte cogitata deinde ordine disponere quam accuratissime, et singula omnia suavitate et concinnitate elocutionis quasi vestire, oratoris igitur est, invenire, disponere, eloqui. Pari modo ipsa oratio oratoris opus aeque ac tragoedia protasi, epitasi, catastrophe constans, tripartita est in principium, tractationem, perorationem. Hinc oratoris est, exordium orationis quasi augurium summa cura et diligentia elaborare, ad suum modo propositum accommodare, summam audientium exspectationem movere, modestia et verecundia conciliare eorum benevolentiam, et cuncta diligenter praeparare. Deinde rem ad dicendum propositam exponet, ut statim intelligatur, quid id sit de quo agatur, et magno acumine versabitur in argumentis ad persuadendum maxime aptis, quae quasi agmine iusto et bene instructo incedere debent, recte et suo quaeque loco collocata. Cum autem, ut sunt homines, in rem aliquam inclinatione modo animi propendeant, et veris etiam oppositum saepe habeant taedium, animorum quoque affectus regere studebit orator, vel sedando et reprimendo, vel incitando et inflammando. Quare Plato in Phaedro ait: *λόγου δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα.* Omnia denique singula summa arte elaboranda atque venusta et apta elocutione decoranda sunt ut una opera quasi conflata exiisse videantur. Sive enim docet acute orator, sive delectat argute, sive commovet graviter, id agendum ei est, ut pure et

emendate loquatur, verborum praeterea et propriorum et translatorum elegantiam persequatur et verborum structura numerum et concinnitatem efficiat. Summum itaque est oratoriae facultatis nosse, quomodo ad rerum varietatem stilus accommodandus sit, ne ubi vehementem et incitatum res poscat, summisso, neve contra elato utatur. Pro rerum enim diversitate debet oratio esse tenuis et quietiore dicendi genere prolata, lenia hic sint, summissa, enucleata omnia, aequabili quodam tenore, aut copiosa sit, gravis et grandiloqua ita ut ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum et vehementia dictionis animos percellat; medium est tertium genus, quasi temperatum ex utroque nec acumine superioris nec fulmine utens posterioris in neutro exsuperans, uno tenore fluat, nihil afferens praeter facilitatem et aquabilitatem totamque orationem ornamentis modicis et verborum et sententiarum distinguat. Oratio denique si agenda est, memoriae est mandanda et pronuntianda et vocis opportuna modulatione, et totius corporis motu et conformatione.

In quibus universis quid Attici minus consecuti sint, quis est, qui dicat. Eo Atticum dicendi genus potissimum excellit, ut nihil dicat, quod sanum non sit, quod non ad rem, ad causam, ad consilium dicentis, ad persuadendum faciat. Nusquam igitur in Atticis oratoribus invenies frigidum vel tumidum quidquam, vel inconstans et inaequale, vel denique siccum et inane. Quamobrem ne impropria unquam, obscura, fufflata, humilia, sordida, effeminata tanquam exquisitiora mireris, exempla tibi sumas ex Atticis oratoribus ad quae mentem et cogitationem dirigas.

NOTAE.

1) v. Rhetores Graeci, ed. Walz. Vol. III. p. 375. IV. p. 42. 43. VII. p. 5. Plat. Phaedr. p. 136. ed. Stallb.

2) Cic. Brut. c. 12.

3) Plut. Thes. c. 32. cf. Schol. Aristoph. Plut. 627. Rhet. Graec. Vol. VII. p. 5 - 6.

4) Thucyd. III. 36 - 41. Plut. Nic. 8, Cai. et Tib. Gracch. vit. c. 2.

5) Plut. Them. 2. Brut. 7. Huc refer ςροφὰς δημηγόρους εὐπειθεῖς apud Aesch. Suppl. 623. Dind.

6) Plut. Solon. 18. Demosth. F. leg. p. 373. Wachsmuth. Hell. Alterthumsk. I. 1. 235.

7) Tittmann. Griech. Staatsverf. p. 188.

8) λέγειν ἐν τῷ δήμῳ Aesch. c. Tim. 54. Demosth. pro corona 286.

9) Aesch. c. Tim. 33. Demosth. c. Androt. 604. 28. Isocr. Paneg. c. 2. 15.

10) Aesch. c. Tim. p. 52.

11) Tittmann p. 188.

12) Herodot. V. 66.

13) Demosth. pro corona 285. Hermann Lehrb. d. griech. Staatsalterth. p. 277. et not. 8.

14) Xen. Mem. 3. 6. 15. Schoem. de com. Ath. 105. λαλία Aritsoph. Ran. 1069 ff.

15) Plut. Antiph. 9. 308 R. A. λογογράφοι Plat. Phaedr. 257. C.

16) Wachsmuth. I. 2. p. 276.

17) Thucyd. VIII. 73. Plut. Nic. 11.

18) Demosth. adv. Lept. p. 499. R. Plat. Menex. ed. Stallb. p. 8 cf. Diodor. Sic. XI. 33 et Dionys. Hal. A. R. V. 17. Wolf. ad or. c. Lept. 482. ed. Bremi. Westermann Gesch. d. griech. Beredsamk. p. 35.

19) Thuc. 1. c. 22. Cic. or. c. 9.

20) Plat. Alcib. I. 119. Schol. 73. Ruhnk. Plut. Pericl. c. 4. De Zenonis dialectica v. Diog. Laert. L. 9, 25.

21) Protagoras v. Diog. Laert. IX. 56. Plut. Pericl. c. 36. Rhet. Graec. IV. 180. Gorgias. Plat. Gorg. p. 447. Cic. de fin. II. 1. de or. I. 22. Quinctil. III. 1. 8.

22) Arist. Rhet. I. 1. ibi definitio rhetoricae.

23) Arist. de rep. VIII. 3.

24) De sophistis v. Ritters Gesch. d. Phil. I. p. 575 - 592 et 628 - 46.

25) Plat. Phaedr. p. 157 et ibi quos citat Stallb.

26) Spengel. art. script. p. 63.

27) Epitaphii fragm. Rhet. Graec. V. 548.

28) Prodici narratio de Herc. Xen. Mem. II. 1. 21 - 34. De Hippia cf. Plat. Hipp. mai, inprimis p. 175.

29) Cic. orat. c. 23 - 29. Dionys. Halicarn. περὶ τοῦ Δημοσθένους δεινότητος ed. Sylb. p. 185.

30) Primae rhetoricae definitiones fere omnes in eo consentiunt, dicendi artem τὸ εἰκός, τὸ πιθανόν sequi, et rem quam tractet reddere probabilem. Unde iam a Corace definitur πειθοῦς δημιουργός, et sane dicere ad persuadendum apte si definieris dicendi artem, a vero non aberraveris, modo ne speciem tantum secteris sed eam probabilitatis disciplinam teneas, qua sola factumne sit aliquid futurumve necne, indagari possit. Sophistae quidem, qui vim dicendi eam esse voluerunt, quae quomodo causa inferior verborum industria superior fieret, ostenderet, Gell. N. A. V. 3. 7. Diog. Laert. IX. 52, malis suis artibus omnia in speciem et vanitatem converterunt. Non tamen omnino spernendi sunt, cum quoties vellent, rem caste quoque et probe possent tractare. Nunquam igitur laude defraudabitur narratio illa Prodici a Xenophonte servata Mem. II. 1. 21 - 34. Sophistae enim, quum in orationis partes inquirerent, verborum significationes acute discernerent, accuratiori sermonis intelligentiae consulerent, primi fuerunt grammaticae et etymologiae auctores. Praeterea et perpetuae orationis artem et colloquendi rationem invenerunt, Plat. Protag. p. 384. Gorg. p. 4. Aristotel. de soph. elench. 33. Tota vero vetus ad eloquentiam institutio ita comparata fuit a rhetoribus ipsis ut exemplis magis quam praeceptis artem docerent. Unde Thrasymachum ἐλέους scripsisse, Antiphontem προοίμια et Cephalus ἐπιλόγους novimus. Qualis autem fuerit omnis institutionis ratio ex Anaximenis de rhetorica libello optime colligas.

31) De iis quae de oratoribus disputavimus, consulendi sunt Dionys. Hal. libr. rhet. et crit. Plut. in vit. decem orat. Rhet. Graec. ed. Walz inprimis Hermog. περὶ ἰδεῶν τομ. β'. Cicero, Quinctilianus et Westermannus in hist. eloq. Graecae.